



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parnassus Catholicus Sive Succincta Quorundam inter Religiones modernas discrepantium Dogmatum Poëtica enodatio

Mertz, Johann Wilhelm

Viennae Austriae, 1679

Privilegien

urn:nbn:de:hbz:466:1-9862



LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ
Electus Romanorum Imperator semper Augustus,
ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclavo-
niæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ,
Carnioliæ & Württembergæ, Comes Tyrolis. Agnoscimus & notum
facimus tenore præsentium, quòd cum nobis Noster & Sacri Imperij
Eques & fidelis dilectus JOANNES GUILIELMUS MERTZ à Quirnheim, humillimè expo-
suerit, se Tractatum quendam suum Poëticum, PARNASSUS CATHOLICUS, intitulatum præli be-
neficio Juris publici facere constituisse, vereri autem, ne perfecto jam opere alij quoque
quæstus causâ falcem in messëm hanc suam immittant, seque adeò & laboris & impendij
fructu frustrentur; demissè supplicando, quatenus se adversus ejusmodi molitiones Pri-
vilegio Nostro Typographico præmunire clementèr dignemur; Nos ijsce precibus uti
æquitate ipsâ nitentibus benignè censuerimus annuendum, prout hisce annuimus, omni-
bus idcirco ac singulis Bibliopolis, Typographis ac Bibliopegis cæterisque quibuscunq;
rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò ac districtè, idque sub Pœnâ quinque
Marcarum auri inhibentes & vetantes, ne quisquam eorum præter prædictum Impetran-
tem, aut eum, cui is desuper dederit licentiam, antefatum PARNASSUM CATHOLICUM intra
decennium proximum à primâ editionis die computandum quocunque modo, caractere,
aut formâ recudere vel aliò recudendum dare, aut alibi etiam impressum intra Sacri Ro-
mani Imperij, Regnorumq; & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines adporta-
re, vendere, seu clam vel palàm distrahere præsumat. Si quis autem Edictum seu Privile-
gium hoc Nostrum transgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non solum
libris istiusmodi perperam quippè recusis & apportatis (quos dictus Impetrans, ubicunque
inventi fuerint, sive propriâ sive Magistratus ejus loci autoritate atque auxilio sibi ven-
dicare poterit) privandum, sed & supradictâ Pœnâ fisco Nostro Cæsareo ceu fraudis vin-
dici & injuriam passò ex æquo pendendâ omni spe veniæ sublatâ decernimus multan-
dum: Dummodò tamen hujus Privilegij Nostri Cæsarei tenor pro cujusque notitia in fron-
te præimprimatur, & quatuor ad minimum ejus Exemplaria ad Cancellariam Nostram
Imperialem transmittantur. Mandamus porò univèrsis Nostris & Sacri Imperij, Regno-
rumq; & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum Magistratibus Ecclesiasticis & sæ-
cularibus cujuscunque ordinis, conditionis, & gradus fuerint, ne quenquam huic Nostrò
Cæsareo Privilegio ullatenus impunè contravenire patiantur, quin potius ejusdem trans-
gressores supradictis Pœnis alijsque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi ean-
dem multam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum manû Nostrâ subscripta-
rum & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra
VIENNÆ die tertiâ Mensis Augusti, Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono,
Regnorum Nostrorum Romani vigesimo secundo, Hungarici vigesimo quinto, Bohe-
mici verò vigesimo tertio.

LEOPOLDUS.

Uc, Leopoldus Guilielmus
Comes in Königsegg.

(L.S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium.
Christoph : Beüer.